

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Ad lectorem. De divisione, deque ordine librorum Taciti

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.


Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

AD LECTOREM.

DE DIVISIONE,

DEQUE ORDINE LIBRORVM TACITI



NTE rem, sed non abs re, monendus mihi bone Lector es, seiunctos disparatosq; à me hos Historiarum libros ab Annalium, causâ non unâ. Primum Tacitus ita suavit, siue iussit: Initium, inquit, mihi operis Ser. Galba. & statim: Opus aggredior plenum varijs casibus. Quae verba, quis ille tam aliud agens in legendo, qui novi operis esse non sentiat, non iuncti aut continuati? Adde quod seriò praefatur, apparat, conciliat, formam futuri operis ponit. quae omnia in vestibulis librorum recepta tantum, satis liquet. Sed & Tertullianus in libello de Spectaculis praet ad hanc distinctionem clarè: Cornelius, inquit, Tacitus in quinto Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus. Rectè ad nostrum discrimen & verè: ad vulgi, vanissimè. quo is liber sit vigesimus primus. Denique etiam titulus me induxit. Si enim priores illi Annales insigniti, ut * docui, à Tacito ipso: aliud nobis opus quaerendum cui, Historia, index. Nam hoc certè titulo libros etiam noster scripsit. Inde apud Vopiscum, Historiæ Augustæ scriptor Tacitus. Inde illud Plinij, Auguror, nec me fallit augurium, Historias tuas immortales futuras. At illud Historiarum opus, istud. cui inseri etiam Plinius ambitiosè nec importunè cupiebat, quia perduxerat id ad Plinij aenum. Sed & liber ille bonus fidusq; Vaticanus non temerè hic vacillat. Incipit, inquit, liber xvii. secundum quosdam. Quidam illi errant. & seduxit eos temporum rerumq; coniunctio, ut uno filo illis de Nerone ad texta censerent ista de Galbâ. Adeò autem in re contrà est, ut sciam Tacitum hos Historiarum libros diu scripsisse ante Annales illos. Ipsi id accedo lib. xi. Ann. Vtriusque, inquit, principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res gestas Domitiani composui. Nam Domitiani res, vel Praefatio ista te docebit, tractasse cum his libris. ad quos frustra & ridiculè me mittit, si nondum scripti editiq;. Quin consilium hoc illi in uniuersâ historiâ; ut eam ordiretur à rebus auro suo coniunctioribus, & paullatim abiret ad superiora. Ne id quidem celat ipse III. Annali, ubi de Iuliâ Augusti filiâ: Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero. Itaque scripsit primò à Galbâ ad Traianum, & Historias appellauit. inde ab Tiberio ad Galbam, & Annales indigetavit.

* Ad lib. i.
Annal.

scripturus eodem titulo fortasse & tractu res Triumvirorum & Augusti. Facta incidit. Hæc ratio mihi ante oculos, cum Editione primâ Historiarum Annalibus anteposui: non ætatis seriem secutus, sed scriptionis tempus. Mutavi. non quia peccarim, sed quia non mens mihi contentionis funem cum vulgo ducere super re leui. Denique quia rerum magis ordinata ita series. Moneo postremum, stilum ipsum, argumentum & causam esse posse utriusque operis separandi. Sanè in istis Historiarum libris scribendi genus totum floridius, diffusius, & velut canali fluens pleniore. in illis Annalium siccus, contractius. adeò ut illic plurimum annorum res uno libro; hic vix unius anni comprehensa pluribus libris. Sive atas id fecit, sive potius iudicium curæ scribendi.

DE MATERIE OLIM HORVM LIBRORVM.



COMPLEXVS erat Tacitus his libris res domi forisq̄ gestas, à Seruij Galbæ principatu ad initium Neruæ. Docet ipse anteloquio operis: *Quod si vita suppeditet, Principatum diui Neruæ & imperium Traiani uberiorem securioremq̄ materiam senectuti seposui.* Scripsit ergo hîc & descripsit Principes sex, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, Domitianum. Sub quibus multæ magnæq̄ res in vrbe, in prouincijs: quarum capita libat ipse totâ hac Præfatione. Ita clarum, grande hoc Historiarum opus fuisse, & à Galbâ ad Neruam, annorum circiter viginti & unius materiem complexum. Sed & numerum librorum ex Hieronymo dare fas est, qui sic in Zachariam: *Cornelius Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani (obserua finem Historiarum) vitas Caesarum triginta voluminibus exarauit.* Ecce triginta libros in vniuersum: atqui *Annalium* libri sedecim, aut si fortè septemdecim fuerunt: ergo *Historiarum* tredecim. Suggestit Hieronymi locum opportunè vir nobilis è Britannîâ, Franciscus Tregianus. At tu vides, Lector, quæ & quanta bonarum rerum iactura: &, scio, mecum ingemiscis. Vbi Tacitus desierat, consilium ordiri Ammiano fuit: qui vestigia eius legit, sed pede non tam fausto. Ipse de se Ammianus: *Hæc ut miles quondam & Græcus, à principatu Caesaris Neruæ exorsus, ad usque Valentis interitum, pro virium explicauit mensurâ.*